

falcinellus (orn: bor: 167) est varietas *Tringæ* alpinæ, rostrum in omnibus erat paulo decurvatum. Frequens avis ad littora maris germanici. *Tringæ squatarolæ* duplex datur varietas, utrum sexus? Altera similis est *Charadrio apricario*, altera *Charadrio pluviali*, ut easdem diceret, qui digitum posticum minutissimum non observaret. Conveniunt varietates Corpore fusco albo luteove maculato rostri apice crassiore, ala notha sub alis nigra. Ad littora maris German: degunt et ob similitudinem cum *Charadriis* jam dictis *Strand Hieiler* dicuntur. Volitant gregatim. *Charadrius Alexandrinus* nidos construit in insula maris germanici *Langeligbierg* dicta. Jam *Leydæ* collectionem *Avium* etc. Universitatis proprio Marte perustrare est animus, et ubi collectiones desunt perustrandæ, Hægam adeo, inde Angliam peto. Si hæc vel alibi Tibi ullum præstare possem officium, honorem semper habeam. Literæ mihi ita inscribuntur: à Mons^r Mons^r M. Th. Brünnich à Leyde op te *Langebroke in't Mantelhuys*. Exuvias *Charadrii* novi si occasio fert, Tibi mittam. Faxit Deus T. O., ut diu lætus nobis intersis, præsens tunc ipse testabor, quanta observantia Viro Tanti nominis sum addictissimus. Vige, mihi verò ut favere pergas, rogo. Dabam *Leydæ* d. 18 Octobris A^o 1765.

a Monsieur Mons^r Charles von Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstiernen Medecin premier de Sa Majesté le Roi de Suede, Docteur et Professeur en Medicine et botanique Membre de l'Academie d'Upsal, de Stockholmé, de l'Academie Françoise, de Russie etc. etc. à Upsal
franco Hamburgh

(46) * Generoso & Perillustri Equiti
Celeberrimo D^o Carolo von Linné

S. pl. d.

M. Th. Brünnichius

Litteras Tuas Lugduni apud Batavos acceptas, favorem in me indicantes insignem, perlegi cum maxima æstumatione,